Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 931

Quelle:
Copyright:

mentum, ſive Hiſtoria Evangelica, cujus Prologus incipit: *Primi parentes generis humani per culpam primam ſe cum ſua ſobole morti et dampnacioni fecerunt obnoxios* &c. non in *Libros*, ſed in *Capita* ſeu Rubricas LXXI. abit, plurimumque exponendis Parabolis occupatur nullo Evangeliſtarum diſcrimine, neque Chriſti Paſſionem adtingit. Textus totius Operis a ſecunda, quin tertia manu ſolerter emendatus et ſubpletus eſt, unde colligas, non deeſſe in Bibliothecis plura ejus Exemplaria. An unum aliquod in manus venerit doctiſſimo *Franc. Ant. Zaccariae νυν ἐν ἁγιοις*, neſcio; non enim nactus ſum *Conſpectum novae S. Iſidori Hiſpal. Operum Editionis*, quem jam a. 1758. Vir ille centimanus publicavit, video tamen ex ejus *Elogio Storico Romae* 1796. a Cl. *Ludov. Cuccagnio* 8. edito fervere negotium Editionis ſub manibus *Fauſtini Arevali* eruditi *Iſidori* Popularis, cui obtigiſſe Commentariorum noſtrorum Codicem *mſ.* ſperare me jubent Bibliothecarum Italicarum opes.

IV. *fol.* 130. praemiſſo *Capitum* CXXV. Elencho *Incipit liber Enchiridon beati Auguſtini ep. ad Laurencium.* Adde *de Fide, Spe et Caritate.* Initium: *Dici non poteſt beatiſſime fili Laurenti* &c. Ut edit. *Maur.* T. VI. *col.* 195. et nobis jam pluries. Textus probus. Singulare illud, c. 3. pro: *quid credendum ſcilicet, quid ſperandum, quid amandum ſit*, legi: *quid credendum fide ſcilicet, quid ſperandum ſpe, quid amandum ſit caritate*, nec id abſone, ſi totum locum expendas.

V. *fol.* 160. *Incipit prefacio beati auguſtini epiſcopi in librum de opere monachorum.* Haec Praefatio nihil aliud eſt, quam Locus e L. II. *Retractat.* c. 21. ubi de hoc Opere *Auguſtinus* loquitur: *Ut de Opere Monachorum librum ſcriberem* &c. Noto hic non improbabiliter legi: *laicos inferiores propoſito* pro *inferioris propoſiti*, quod in ſuis Codicibus non invenere *Mauriani* T. VI. *col.* 473. Ita nec invenere, quod habet Noſter c. 2. ipſius Libri; ubi enim illi ſimpliciter, *ad eorum correctionem quid dicendum*, hic abſolute: *ad eorum correctionem et ad implendum noſtri epiſcopatus officium contra diſſerendum.* Differunt et alia plura; unde vel hodie revidere *Auguſtinum* non eſſet actum agere.

VI. *fol.* 175. p. 2. *Incipit Liber ſancti Auguſtini de bono coniugali.* Ita: *Quoniam unusquisque homo humani generis pars et ſociale quiddam* &c. ut T. *cit. col.* 319. Textus ſat probus, ſed cave verba poſtrema: *Nec diſtuli atque id Dei munus et quam magnum et quanta humilitate cuſtodiendum eſſet uno ſicut potui uolumine oſtendi*, Libro accenſere. Ad Librum *de ſancta Virginitate* pertinent, et, neſcio quomodo, e *Retractat.* L. II. c. 23. huc irrepſere.

VII. *fol.* 186. *Incipit auguſtinus de orando deo ad probam.* Epiſtolam puta, quae in Edit. *cit.* T. II. *col.* 382. eſt ordine CXXX. et incipit: *Et petiſſe te, et promiſiſſe me recolens* &c. Haec porro

Augu-